

22.

In Festo S. Marie Magdalene. Ad Vesperas.

1. Lauda mater Ecclesia,  
Lauda Christi clementiam,  
Qui septem purgat vitia  
Per septiformem gratiam.

2. Maria soror Lazari,  
Quae tot commisit crimina,  
Ab ipsa fauce tartari  
Redit ad vite limina.

3. Post fluxe carnis scandala,  
Fit ex lebete phiala,  
In vas translata glorie,  
De vase contumelie.

4. Aegra currit ad medicum,  
Vas ferens aromaticum,  
Et a morbo multiplici,  
Verbo curatur medici.

5. Surgentem cum victoria  
Jesum videt ab inferis:  
Prima meretur gaudia,  
Que plus ardebat ceteris.

6. Uni Deo sit gloria,  
Pro multiformi gratia,  
Qui culpas et supplicia  
Remittit et dat praemia. Amen.